



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

De spirituali Virginis pulchritudine in genere. Sectio VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

Titelman. non sufficeret. Denique Titelman. in annotationibus in Psal. 44. super illa verba
 Psal. 44. 5. *speciosus forma pra filiis hominum.* Non sunt praetermittenda verba Ambrosij. *Tanta,*
 D. Ambrosij. inquit, *erat eius gratia, ut non solum in se virginitatem seruaret: sed etiam si quos iniuisset*
integritatis insigne conferret.

De spiritali Virginis pulchritudine in genere.

SECTIO VI.

I.
 Corporis, me-
 isque pul-
 chritudo vn-
 de oritur.
 Cant. 6. 4.

Septuag.
 R. Abraham
 De pulchri-
 tudine men-
 tis Virginis
 quam glo-
 rietur Deus.
 R. Salom.

Sicut pulchritudo corporis ex apta membrorum compositione cum quadam
 coloris suavitate oritur, ita pulchritudo mentis ex virtutum inter se conci-
 nentium nexu, & varietate cum suavitate coloris, quem charitas ut potest ardens, &
 rubicunda virtutibus omnibus aspergit, proficiuntur. Igitur tanta fuit haec in
 Virgine pulchritudo, ut Deus ipse de tam perfecti operis elegantia quasi iactabun-
 dus dixerit Cant. 6. *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Quo loco est
 obseruandum pro eo, quod 70. & nos habemus, *me auolare fecerunt,* esse Hebraicè,
 אהרתי, à radice אהר, quae significat roborare, superare, extolli, superbire. Vnde R.
 Abraham sic interpretatur: *Averte oculos tuos a me,* quia ipsi fortiores fuerunt me,
 praualuerunt mihi, & abstulerunt mihi robur meum, & Dominum meum: quasi
 nimitum Deus conspecta Virgine tanto incitaretur amore, ut deliquium mentis
 pateretur: & praeterea dominum sui amitteret, totum se Virginis esse confitens,
 quod proprium est amantium. Verum R. Salom. potius vult legendum esse, *Quia*
ipsi me superbire fecerunt: neque id pugnat cum editione vulgata: nam qui volant, se
 in altum extollunt, & in sublime feruntur, quae est superbientium conditio. Qua-
 re iuxta hanc postremam translationem fatetur sponsus se ad Virginis conspe-
 ctum quodammodo de sua potentia, & sapientia superbire, qui tam eximium, &
 pulchrum opus potuit, & nouit effingere. Itaque quia conspecta Virgine quo-
 dammodo: ut more nostro loquamur, periculum arrogantiae, & superbiae incur-
 rebat, sibi que ipse gloriabundus efferrit, & superbire videbatur, monebat huius
 periculi sponsam, commendabatque, ut à se oculos interdum auerteret: ne de tā-
 to opere sese praeter morem iactabundus efferreret. Atque huc videntur allusisse
 adolescentulae Hierosolymitanae, cum dixerunt Cant. 1. *Reli diligunt te:* pro quo
 70. transtulerunt, *Relitudo dilexit te:* quae verba Graeci Patres volūt esse adolescen-
 tularū, quae cum viderent sponsum conspecta sponsa animo deficere, & mentis pati
 deliquium, manifestè cōiecerūt maximo in illā amore inflamari. Itaque per quā-
 dam inuidiā dicebāt: *Relitudo dilexit te.* O te, inquit, felicē, o beatā, siquidē ipsa
 met relitudo, hoc est, sponsus, qui rectissimus est in amore, cuiusque est certissimū,
 nullō que modo fallax de pulchritudine iudicium, te dignam praeter ceteris amore
 suo iudicauit: quare iam nihil nobis superest, cur te eū de pulchritudine certemus.

Cant. 1. 4.

II.
 Cant. 1. 9.
 Pulchritudo
 mentis Virg.
 equitatus
 Pharaonis
 assimilatur.

Haec spiritalis pulchritudo Virginis duplici, eaque elegantissima similitudi-
 ne explicatur in lib. Cant. vna est illa, quae habetur cap. i. vbi postquam sponsus
 eam pulcherrimam inter mulieres appellauerat, subiicit: *Equitatus meo in curribus*
Pharaonis assimilatus te amica mea, hoc est ad litteram, In curribus Pharaonis euertend-
 is, ac dissipandis similis fuisti equitatus meo firmissimo. Ea verò similitudo vi-
 detur primo aspectu ab instituto aliena: quid enim cōueniētiā habet cum equi-
 tatus pulchritudo: sed tamen aptissima est ad explicandam vim, qua pulchritudo
 Virginis, hominū, Angelorum, imo & Desipius amorem sibi cōciliabat, & quo-
 dammodo expugnabat, quasi sponsus diceret: Vsq̄ue ad eū pulchritudine excellis,
 ut oris tui species sit veluti equitatus quidam potentissimus ad omnium animos
 vincen-

vincendos. Vt enim in bello equitatus plurimū potest, eoque immisso acerrimū
 solet esse, cruentumque certamen: ita virtutes omnes, prerogatiuæque Virginis
 à charitate quasi duce instructæ erāt, veluti quidam equestris exercitus ad omniū
 animos per amorem vincendos, potentissimus. Eandem similitudinē continent
 verba illa Cant. 6. *Pulchra ut Luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Vt
 quid enim Luna, Solisque pulchritudinem cum castrorū terrore coniunxit: ni-
 mirū acies instructa est ad aspectum pulcherrima, & cum quodam quali men-
 tis stupore admirabilis: hanc enim vim habet vox illa, *terribilis*. Præterea est ad quamlibet
 arcem oppugnandā potētissima: quare significatur Virginis pulchritudo quæ ex
 multarū virtutū varietate conflatur, veluti numerosum quendam exercitum esse,
 & aciem instructam potentissimam ad quodlibet ferreum pectus molliendum:
 imò & esse non quouis modo ad aspectum pulchrā, sed cum quodam quali men-
 tis stupore: quia videlicet intuentes non in admirationem tantum, sed in stuporē
 conuertit, quæ summa esse poterat pulchritudinis in Virgine amplificatio.

Altera similitudo desumitur à palma, vt habetur Cant. 7. *Quam pulchra es, &*
quam decora charissima in delicijs! statura tua assimilata est palmæ. Alij transferunt ex
 Hebræo: *Quam pulchra es, & quam iucunda o amor in delicijs! hac statura tua simi-*
lis est palma. Quibus verbis commendatur Virgo à totius corporis elegantia, ap-
 tæque membrorum omnium conformatione, quæ tam eximia est, vt propterea
 Virgo ipsemet amor videri possit. Deinde comparatur statura eius palmæ, tum
 propter altitudinem, & proceritatem, quæ multum facit ad pulchritudinem: tum
 vt indicetur ipsam inter omnes pulchras fœminas palmam præripere pulchri-
 tudinis. Itaque *statura tua assimilata est palmæ*, hoc est, reliquos omnes Sanctos spi-
 rituali pulchritudine, & elegantia antecellis, cum ipsiſque comparata victricis
 palmæ instar obtines. Ascendit, quod palmæ folium refert speciem gladij: itaque
 quodammodo gladijs armatur palma, quot folijs vestitur. Ita nimirum Virgo
 quot virtutibus, donis, prerogatiuisque exornatur, tot quali fortissimis, & acu-
 tissimis armatur gladijs ad omnia sibi per amorem subiicienda. Quod enim pul-
 chritudo appelletur gladius in sacris literis, perspicuum est ex Psal. 44. *Accingere*
gladio tuo super femur tuum potentissime: quo, inquam gladio? specie tua & pul-
chritudine tua intende, prospere procede, & regna: tua enim pulchritudine Rex Messia
tanquam gladio tuo, hoc est, tibi proprio, quippe cum tibi sit propria pulchritu-
do, & mansuetudo, prospere procedes, imperiosèque regnabis.

Nec verò mirum videri debet tam pulchrā prædicari Virginem: siquidem in ea
 Deus creaturarum omnium pulchritudinem coniunctam esse voluit, fecitque eā
 quasi breuiarium, & epitomen omniū perfectionū. Imò videtur Deus diligēter in
 creaturis sibi ex æternitate obiectis notasse, quid in singulis emineret, vt totum id
 conferret in Virginem: quod non obscure Ecclesia docet cū Virgini accommodat
 locū illum Prou. 8. *Dominus possedit me in initio viarū suarū: ab æterno ordinata sum. Nō*
dum erat abyssus, & ego iam concepta eram: quando preparabat caelos aderam, cum eo eram
cuncta componens. Quid enim aliud est affuisse Virginem Deo mundum mēte desi-
 gnātū, & ex æternitate molietū, nisi in illa creaturarū archetypa molitione Diuino
 intellectui obiectam fuisse, quasi iam tunc Deus in singulis creaturis inuestigaret,
 quicquid in illis excelleret, vt inde decerptū in virgine transfunderet, quemadmo-
 dum pictori magnū aliquod opus cogitatione versanti in omnibus alijs operibus
 semper illud ante oculos obuersatur, quasi in reliquis veluti præludat, & manum
 exerceat, vt cū illi, quod mēte voluit, manum admoerit, sit iam apprimè exerci-
 tatus. Id ergo innunt illa verba: *Ab æterno ordinata sum. Ego iam concepta erā. Cum*

III.
Cant. 7. 6.

Pulchritudi-
nis spiritualis
palmam præ-
ripit B. Virg.

Psal. 44. 4.

III.

B. Virgo om-
nium perfe-
ctionum epi-
tome.
Prou. 8. 12.

eo erant cuncta componens. Quando preparabat caelos, aedera. Hæc enim omnia significant Virginem ex æternitate Deo obiectâ fuisse in omnibus efficiendis operibus quasi opus quoddam eximium, ad quod perficiendum iâ tunc ars Divina sese accingebat. Quidam verò in reliquis operibus quasi præluderet, & manum quodammodo exercebat, non obscure elicitur ex illis verbis, *ludens in orbe terrarum*. Denique artem suam Deus mirabiliter in Virgine commendavit: pro quo est obseruandum ex Plin. lib. 35. cap. 10. summam picturæ subtilitatem cerni in extremis lineis: *Corpora, inquit, pingere, & media rerum est quidem magni operis, sed in quo multi gloriam tulerint. Extrema corporum facere, & desinentis picturæ modum includere rarum in successu artilitas in quo tis inuenitur. Ambire enim debet se extremitas ipsa, & sic desinere, ut promittat alia post se, ostendatque etiam, quæ occulta.* Sic igitur artem suam Deus subtilissimâ extremis in Virgine lineis ducendis mirificè ostendit. Etenim cum omnia in Virgine sint summa, & ad extremum perfectionis perueniant, quam cumque eius prærogatiuam consideres, ex ea tanquam ex vltima linea intelliges innumeras aliàs occultari tanquam ex ambiente se extremitate, & multa alia posse quodammodo promittente.

In Virgine
artem suam
commendavit
Deus.
Picturæ sub-
tilitas in quo
cernatur.

De pulchritudine Virginis sigillatim: & primùm de pulchritudine capitis.

SECTIO V.

I. **V**T illustrior reddatur Virginis pulchritudo, quam generatim superiori sectione perstrinximus magis, quam descripsimus, operæ pretium erit eam in singulis eius partibus contemplari sumpto à capite initio. Igitur de capite Virginis ita legimus Cant. 7. *Caput tuum ut Carmelus*. Carmelus mons est in Iudæa altissimus, & pulcherrimus, multisque herbis odoriferis refertus, & vestitus. Vnde ad explicandam Ecclesiæ Catholicæ felicitatem adhibuit Elajas similitudinem de promptam ex Carmelo monte cap. 35. *Larabuntur deserta, & inuia, & exultabitis solitudo, & florebit quasi lilium: Germinans germinabit, & exultabit larabunda, & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* In quem locum Lyran. docet per tres istos montes, qui reliquis in Iudæa fertilitate, amœnitatēque præstabant, significari quicquid erat spiritualis amœnitatis in Synagoga fuisse in Ecclesiam transferendum: itaque dandam Ecclesiæ fuisse gloriam Libani, decorumque Carmeli, & Saron. Igitur Dionysius Carth. art. 24. super Cant. per caput Virginis sanctam eius voluntatem intelligit, quæ instar Carmeli montis in Deum semper altitudine ferebatur, & bonorum operum fructibus abundabat: additque posse etiam accipi eius intentionem in rebus omnibus altissimam. Sed vniuersè rectius per caput Mariæ animæ eius pars superior intelligenda est, quæ Carmelo monti comparatur, tum quia sublimitate, & pulchritudine reliquos omnes montes circæ positos, id est, reliquos omnes sanctos longè superat: tum etiam, quia abundat omnium florum, odorumque suauitate, hoc est, omnium virtutum, & gratiarum fragrantia.

II. **S**ecundò, Erat Carmelus mons propter altitudinem, & viriditatem contemplationi aptissimus, quam ob causam Helias eo contemplandi gratia se recipere consueverat, 3. Reg. 18. At quis locus ad contemplandum aptior capite Virginis, hoc est, suprema eius animæ parte, in qua tam multa Dei dona, prærogatiuaque resplendent in quem montem si quis per contemplationem ascenderit, profectò in summam Divinæ bonitatis, sapientiæ, potentiaque admirationem rapietur. Alia.

Cant. 7. 5.
Carmelus
mons sancti-
tatis Ecclesiæ
typus.
Ejai. 35. 1.

Diony Carth.
Virgini vo-
luntas semper
ferebatur in
Deum.

Fragrantia
virtutum, &
gratiarum
B. Virginis.

Carmelus
contempla-
tionis aptissi-
mus.
3. Reg. 18.